

## Codice Diplomatico Longobardo I, 93

+ In nomine domini Dei saluatori nostro Iesu Christi. regnante piissimo adque excellentissimo domno nostro Ratchis [.....] anno quarto, tertio decimo [.....] martii, per indictione prima; feliciter. Ego Liutpert, [qui 9 et Cenulus, [archidiaconus sancte] Pisane ecclesie .....a, dum in hoc seculo uiuit homo, [...] [.....] d[ .....]ure, haec enim nobis est recordari beati Pauli apostoli uoce, qui ait: preteri enim figura huius mundi. Uolo uos sine sollicitudine esse. Interrogatorius inquit: adpropinquante mundi terminus, cum signa [et] portenta conspicimus secundum ueritatis uoce leuare capita, id est exhilarari corda et nostras mentes ad gaudia patriae celestis erigere. iterum Paulus egregius predicator dicit: nolite diligere mundum neque ea quae in mundo et qui enim diligit mundum, non est caritas patris in eo, quoniam qui amat eum amatur ab eo quem amat, et per hoc inimicus Dei esse conuincitur. Dominus dicit: facite uobis sacculos, que non ueterescunt. et centuri ait: Domine, si aliquod defraudabi, reddo quadruplum. nam et Dauid psalmigrafus uates cecinit ait: diuitie si affluent, nolite cor adponere. proinde debet unusquis eternis lauorari muneribus, unde nobis aliqua beatitudinis portiuncula in perpetuo tempore sit profutura et ante tribunal eterni iudicis cum securo conscientia presentemur, quia si omnia istius mundi habeamus diuitias, nihil est dignus Deo. ideoque ego qui supra Liutpert, qui et Centolus, archidiaconus sancte Pisane ecclesie haec die, quae superius legitur, dum Dei uisitacione egrotante me lectulo reiacerem, in presentia uenerabili patri nostro Iustino episcopo, Aunimundo archipresbitero, Gauserado presbitero, Liudoaldo presbitero, Pyrro presbitero, Uuandalo diacono, seo et Gunderadi filio quondam Cuniperti, Cocciae, Pertoli, Uuandali, Pertoligi, seo et aliorum plurium amicorum, medietate de omnes res et substantia mea, tam homines quam casas, prata, uineas, campos, siluas, quatropedias, omnia et in omnibus, tam de parentum iura quam de comparacione quidquit mihi conpetit, tradedi tibi consobrinio meo Rigiperto, qui et Maccio, diacono, postea uero, in eorum supradictorum presentia, nos res nostras qui supra Centolus archidiaconus et Maccio diaconus, commune consilio parique consensu tracantes, pro nostrarum animarum remedio offerimus ecclesie Sancte Marie prenominate res, ut, dum usque adiuuere meruerimus, unus aut ambo, omnia in omnibus in nostra sit potestate. post obito uero nostro, uolumus de colonis Filicauso et Alipergera cum casa filios uel filias suas et cum mobile uel immobile et omni substantia sua quae ad ipsa casa pertenerere dinuscutur, seo et Fridichisi et Gisa cum filios et filias suas, Causerado et Uualderada, seo et Sorola cum filias suas de Monte Guitolfi, Rodichis et Perterada cum filiis et filias suas, Teutpert et Perterada cum filios et filias suas, isti superscribti cum casas et personas sua et omnem substantias suas ad se pertinentia mobilia et immobilia, seo et Teutpald, Radtruda, Ermefrid, Bonello, Magnifrid, Mucciolus, Iffulo et Fridicauso germanis, Baroncellus et Ratperga cum filios et filias suas, et Liosolus germanus eius, Pertoald, Gundipert et Aunitruda cum filios et filias suas, Buggulo et Aunitruda cum filios et filias suas, isti omnes cum casas uel omnes res suas mouilia et immobilia quidquit ad manus suas habere uidentur, seo et Rodicunda ancilla Dei et de Cultano Aunipergera persona eius uel que de eas procreantur; uolumus ut omnes isti cum omnibus rebus suis, dum nos Centolus et Maccio adiuuere meruerimus, in nostra sit potestate; post obito uero nostro, decreuimus ut omnes sint cum omnes rebus suis liueri et absoluti ab omni nexu condicionis uel ro a iugo seruitutis. et uolumus habeatis defensionem ad ecclesia Sancte Mariae uel episcopo in loco qui positus fuerit. et per omne casa per singulos annos dare debeatis ad casa Sancte Mariae exenio trimissale aut certe trimisse in auro; amplius uobis nulla inponatur. et mundio, si qua de

uestra procreatione ad marito ambolauerit, ad ecclesia Sancte Mariae uel episcopi sit potestate. et hoc uolumus, ut si alicui ex uobis prenominatis aliquas res uindere fuerit oportunitas, non habeatis potestate aliis hominibus uendendi licentia nisi inter uobis conliuertis, unus alterius, seo iste ad parentibus nostris de benefactoribus uestris superscribtis diacones. et si aliquis ex ipsis presumserit aliquas res ad alio homine uenundare, potestate habeant heredes aut parentes de ipsi diacones prendere et tenere et defendere. nam sic decreuit semel et simul noster animus, ut, sicut superius statuimus, ita perpetuis et perennis permaneat temporibus. ecce, ut noster concepit animus, pro Dei omnipotentis remuneratione in uos adimpleuimus. et unde supra diximus, iterum memoramus de ipso uestro mundio, quod sit in potestate ecclesie Sancte Mariae uel episcopi; uolumus ut per caput sit tantum soledum unum. Unde pro memoranda futura tempora et animae nostre cautela, et ne in posteris aliqua fiat oblibio, hanc testamenti cartula fieri elegimus, et in presentia superscribtorum testium Iohannem episcopum rogabimus scribendam. Actum Pisas, regno, anno, mense, die et indictione superscribta; feliciter. + Ego Liutpertus, qui et Centulus, archidiaconus in unc testamentu a me factu manu mea subscripsi. + Ego Righipertus, qui et Maccio, diaconus in unc testamentum a me facto manu mea subscripsi. + Ego Aluart diaconus in unc testamentum rogatus me teste suscripsi. Signum + manu Ermefridi filio quondam Arnicausi testis. + Ego Aufusus uiro religiosus in hunc testamentum mi teste subscripsi. Signum + manu Gudolini uiri deuoti filio quondam Filerad testis. Signum + manu Cunipert filio quondam Pittoni uiri deuoti testis. + Ego Alpertus relegiosus clericus in huc testamentum rogatus me teste suscripsi. + Ego Aurifusus uero religiosus clericus in hunc testamentum rogatus me testes subscripsi. + Ego Iohannis licet indignus episcopus rogitus a Liutpert, qui et Centolus, archdiacono seo et Rigiperto, qui et Maccio, diacono hanc paginam testamenti in presentia quorum supra testium ad scribendum suscepi, et postea, post signa aliorum septem testium, subscripsi et deplibi +.